



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

XI. Beatam dicit Virginem S. Simeon; quia ista est Lumen omnium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

ii. Beatam dicit Virginem S. Simeon.
Quia ista est Lumen omnium.

Cum Virginis Filium in ulnas Simeon suscipit, exclamat inter cetera: *Lumen ad revelationem Gentium.* Unde illud lumen? *Petrus Damiani* attribuit *Sermo de Assumpt.* Virgini illud *Eccles. 24. Ego feci in coelis ut oriretur lumen indefectum.* Et subdit. Nihil habuit spiritus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet, præter solem: hoc itaq; ipsa amicta sole, attulit lumen illud mundo. Hinc, ut refert *Tursellin:* in vita ejus S. Franciscus Xaverius, dum Gentibus unum de decem Divinis proposuisset præceptis, habuit in more subungere, & cum circumfusa multitudine recitare precationunculam. *Maria Mater Dei ora pro nobis, ut possimus hoc Dei servare præceptum, & sic deinceps alijs etiam explanatis orabat præceptis.* Lumen Mariæ simile est solari, & ostendit lutum & trahit sursum. *Cant. 8.* ubi legit vulgata, *lampades ejus lampades ignis LXX. legunt.* Alæ ejus alæ ignis. Ex hoc fortè mos invaluit in Dei Ecclesia ut die Purificatæ Magnæ Parentis consecrentur cerei, Meminit hujus moris *Bernard. serm. de Purif.* meminit & *Surius 19. Maij in vita S. Dunstani,* ex quibus constat esse non modernum. Exultavit senex Simeon viso in carne Deo, non vidisset, nisi hæc Mater illum genuisset. Exultat ad fructum vitæ, nec minùs aspectu arboris vitæ hilarescit. *Benedicta Filia tu à Domino, quia per te Fructum vitæ communicavimus.* Sed quomodo Beatam dicit Simeon, cui prædixit: *Tuam gladius pertransibit animum.* Et in hoc Beatam dicit. Audiamus S. *Jldefonsum serm. 2. de Assumpt.* qui S. Virginem vocat Matrem timoris. Mater carnis dat carnem quam habet, Virgo ut sit Mater timoris debet in se timoris habere gladium. *Orig. in Luc.* Ut aliena revelentur peccata Matris anima sauciatur. *Nunc dimittis in pace* exclamat Simeon, quando in manus suas è manibus Virginis accepit Lumen mundi. Idem & modò Virgines accidit cultoribus. Unus sit præ omnibus B. *Joachim Senensis in Ephemend. 16. Apr.* Is ab ineunte ætate Virginem tenerè semper coluit, deinde verò illius manibus Ordinem Servitarù ingressus, ibiq; raro cum virtutis exemplo complures exegit annos. Tandem ipso die Assumptæ Virginis cum sacrificio Divino assillit, & accensum cereum ad elevationem SS. hostiæ tenet, ipse cadit repente & exanimatus, cereus tamen in aëre pendet elevatus.